

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XC

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

enim de infidelibus & fidelibus erat sermo ut hoc diceret sed de gentibus
& iudaeis. quicerte utriq. nisi in eo saluato se saluentur qui uenit quae se
quod perierit. ad perditionem sine dubio pertinebunt. quamuis dici pos
sit alios grauius. alios leuius perituros. id est alios grauios. alios leuios poe
nas in sua perditione passuros. ille enim per iudeo dicitur quisquis ab illa bea
titudine quam dat scis suis. per supplicium separatur. tanta est autem sup
pliciorum. quanta est diuersitas peccatorum. quae quomodo se habent. al
tus enim iudicat sapientia diuina. quam coniectura scrutatur aut effatur
humana. Esti certe ad quos uenit & quibus loquutus est xps. non habent
de magno infidelitatis peccato illam excusationem qua possint dicere. non
uidimus. non audiimus. siue non acceptarunt ista excusatio ab illo cuius
in scrutabilia sunt iudicia. siue acceptarunt. & si non ut ab omni damnatione
liberarentur. certe ut aliquanto lenius damnarentur. qui me odit inquit.
& patrem meum odit; hic nobis fortasse dicitur. quis potest odisse quem
nescit? utiq. antequam diceret. si non uenisset & loquutus eis fuisset. pec
catum non haberent. Dixerat discipulis suis; haec facient uobis. quia nesci
unt eum qui misit me. Quomodo ergo nesciunt & oderunt. si enim quod
non est ipse. sed nescio quid de illo aliud opinantur. non utiq. ipsum sed illud
inueniuntur odisse quod fingunt. aut errando potius suspicantur. & tamen
nisi possent homines odisse quod nesciunt. non ueritas utrumq. dixisset. qd
eius patrem & nesciunt & oderunt; sed quomodo id fieri possit si adiuuante
dno per nos demonstrari potest. quia haec disputatio est iam claudenda.
nunc non potest.

INCIPIT SERMO XC. DE EADEM RE.

Audistis dnm dicentem. qui me odit & patrem meum odit. qui superius
dixerat: haec facient uobis. quia nesciunt eum qui misit me; non itaq.
dissimulanda nascitur quaestio. quomodo possint odisse quem nesciunt.
si enim dm non quod est ipse. sed nescio quid aliud eum suspicantur aut
credunt. & hoc oderunt utiq. non ipsum oderunt. sed quod sua mendaci
suspensione uel uana credulitate concipiunt. si autem quod est. hoc de
illo sentiant. quomodo eum nescire dicuntur? & de hominibus quidem
fieri potest. ut eos sepe quos numquam uidimus diligamus. ac per hoc nec
illud a contrario impossibile est. ut eos quos numquam uidimus oderimus.
fama quippe aliquo sermone ante seu bene seu male. fit non in merito
ut amemus uel oderimus ignotum; sed si fama sit uerax. quomodo est
de quo uera didicimus dicendus ignotus. an quia eius faciem non uidi
mus. quam cum & ipse non uideat. nulli tamen potest notior esse quam

sibi non igitur in eius facie corporali nobis intimatur cuiusq. notitia. sed tunc nobis ad cognitionem patet & quando eius mores & uita non lateat. alioquin nec se ipsum nosse quisquam potest. qui uidete faciem suam non potest. sed utiq. tanto certius quam notus est aliis ipse se nouit. quanto certius interiore conspectu potest uidete quod sapit. uidete quod cupit. uidete quod uiuit. quae cum aperiuntur & nobis. tunc uete fit cognitio nobis. haec itaq. qm̄ plerumq. ad nos de absentibus uel & iam mortuis siue fama siue litteris perferuntur. hinc fit ut saepe quos numquam facie corporis uidimus. non tamen quos omnino nescimus. uel oderimus homines uel amemus. sed plerumq. in eis nostra credulitas fallitur. quia non nūquam & historia & multo magis fama mentitur. pertinens autem ad nos. ne perniciosa opinione fallamur. ut quia non possumus hominum indagare conscientiam. De ipsis rebus habeamus ueram certamq. sententiam. hoc est ut si ille uel ille homo utrum sit impudicus. pudicusue nescimus. Oderimus tamen impudiciam & pudiciam diligamus. & si illum uel illum iniustum esse. iustumue nescimus. amemus tamen iustitiam & iniustitiam detestemur non quas nobis ipsis errando confingimus. sed quas fideliter hanc ad petendam. illamq. uitandam indiueritate conspiciamus. ut cum de ipsis rebus quod ad perendum est adperimus. quod de uitandum est de uitamus. ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando. immo adsidue non uera sentiamus. hoc enim ad humanam temptationem pertinet arbitror. sine qua duci ista non potest uita. ita ut apostolus diceret & temptatio uos non adprehendat nisi humana. quid enim tam humanum. quam non posse inspicere cor humanum. & ideo non eius latebras perscrutari. sed plerūq. aliud quam id quod ibi agitur suspicari. quamquam & in his rerum tenebris humanarum hoc est cogitationum alienarum & si suspensiones intellegere non possumus. quia homines sumus. iudicia tamen id est definita. firmaq. sententias continere debemus. nec ante tempus quicquam iudicare. donec ueniat dñs & in luminē abscondita tenebrarum & manifestet cogitationes cordis & tunc laus erit unicuiq. ad dō. Quando ergo non erratur in rebus. ut recta sit improbatio uitiorum. uirtutumq. probatio. profecto si erratur in hominibus. uenialis est humana temptatio. per has autem humanorum cordium tenebras res multum miranda & multum dolenda contingit. ut eum non numquam quem iustum putamus. & tamen iustus est. & iustitiam in eo nescientes diligamus. deitemus. auersemur. a nostro prohibeamus accessu. communem cum illo uitam. uictumq. habere nolumus. eumq. & iam si disciplinae imponendae necessitas cogit. siue ne alius

noceat. siue ut fiat ipse correctior. asperitate salubri persequamur;
 & hominem bonum tamquam malum affligamus. quem nescientes ama-
 mus; hoc fit si quis uerbi gratia cum sit pudicus. a nobis creditur impudicus;
 sine dubio enim si pudicum diligo. hoc est ipse quod diligo; ergo & iam ipsum
 diligo. & nescio; & si impudicum odi. non ipsum ergo odi quia non est quod
 odi. & tamen dilecto meo cum quo semper in caritate pudicitiae habitat
 anima mea. facio ignarus iniuriam. non errans in discretionem uirtutum.
 atque uitiorum. sed in cordium tenebris humanorum. proinde sicut fieri po-
 test ut homo bonus hominem bonum oderit nesciens. uel potius diligat nesci-
 ens. ipsum enim diligit cum bonum diligit. quia id quod est ille. hoc iste dili-
 git. Oderit autem nesciens non ipsum sed quod putat esse ipsum. ita fieri po-
 test. ut & iam homo iniustus hominem iustum. dum aestimat se sui
 similem iniustum diligere. nesciens diligat iustum. & tamen dum eum cre-
 dit iniustum. diligat non ipsum sed quod putat esse ipsum; quem ad mo-
 dum autem hominem. sic & dominum. Denique si interrogarentur iudaei utrum
 diligerent dominum; quid se aliud quam diligere responderent. nec ex animo
 mentientes sed errando potius opinantes. quomodo enim diligerent pa-
 trem ueritatis. qui haberent odio ueritatem. nolunt enim sua facta dam-
 nari. & hoc habet ueritas. ut talia facta damnentur. Tantum igitur oderit
 ueritatem. quantum oderunt suas poenas. quas talibus inrogat ueritas; nes-
 ciunt autem illam esse ueritatem. quae tales quales ipsi sunt damnat. ode-
 runt ergo quam nesciunt. & cum illam oderunt. profecto & eum de quo
 nata est. nisi odisse non possunt; ac per hoc quia ueritatem qua iudicante
 damnatur. de patre deo natam nesciunt. utique & iam ipsum & nesciunt & ode-
 runt. O miseris homines. qui cum esse uolunt mali. esse ueritatem qua dam-
 nantur mali; nolunt enim eam esse quod est. cum ipsos debeant nolle esse
 quod sunt. ut ipsa manente mutentur. ne ipsa iudicante damnentur.

**INCIPIT SERMO XCI. DE EO QUOD DICIT. SI OPERA NON FE-
 CISSEM INEIS QUAE NEMO ALIUS FECIT PECCATUM NON
 HABERENT NUNC AUTEM ET UIDERUNT ET ODERUNT
 ET ME ET PATREM MEUM SED UT IMPLEATUR SERMO QUI
 IN LEGE EORUM SCRIPTUS EST. QUI ADIO HABUERIT ME GRA-**

Dixerat dominus. qui me odit & patrem meum odit. utique enim
 qui odit ueritatem. necesse est oderit & a quo ueritas nata est;
 unde iam quantum datum est. loquuti sumus. Deinde addidit. un-
 de nobis nunc loquendum est. Si opera non fecissem in eis quae nemo
 alius fecit. peccatum non haberent; peccatum illud scilicet magnum de quo

nolunt.